

Novum, notisque hactenus perfectius instrumentum chirurgicum tractorium, fractis, luxatisque accomodum / [Johann Maerklen].

Contributors

Maerklen, Johann.
Sigwart, Georg Friedrich, 1711-1795.
Universität Tübingen.

Publication/Creation

Tübingen : Schramm, 1772.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/urfj8mj9>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

NOVVM, NOTISQVE HACTENVVS PERFECTIVS
INSTRVMENTVM CHIRVRGICVM TRACTO-
RIVM, FRACTIS, LVXATISQVE
ACCOMMODVM,

QVOD

RECTORE VNIVERSITATIS EBERHARDINO-
CAROLINÆ MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO ATQVE POTENTISSIMO DVCE ET DOMINO,
D O M I N O

C A R O L O,

DUCE WVRTEMBERGIAE ET TECCIAE, rel. rel.

P R A E S I D E

h. t.

P R O R E C T O R E M A G N I F I C O

G E O R G I O F R I D E R I C O
S I G W A R T

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORE,
CHIRVRGIAE ET ANATOMIAE PROFESSORE PVBLICO
ORDINARIO, MEDICO AVLICO,

d. 8. April. 1772.

P R O G R A D V D O C T O R I S I N M E D I C I N A

D I S P V T A T V R V S

C V M P V B L I C O C O M M V N I C A V I T

I O H A N N E S M A E R K L E N, H E R I M O N T A N V S.

T V B I N G A E T Y P I S S C H R A M M I A N I S.

NOV 17 1781
IN THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY

RECTOR UNIVERSITATIS FERDINANDINO
CAROLINAE PALATINUS RISSIMO
SERVISSIMO

CAROLO

DUCI SARDINIAE ET CORNICI

PALESTINA

FRANCISCO MARCHITICO

GEORGIO FRIDERICO

SIGWARD

PHILOSOPHUS ET MEDICUS DOCTOR
CHIRURGUS DE ANATOMIA IN REGIA UNIVERSITATE
OLINGARUM, MEDICUS VILCO

PRO GRADU DOCTORIS IN MEDICINA

DESPICITUR

OMNI FIDELI CONSERVAVIT


JOHANNES MARRKEN, HERIMONTANUS

THESE




PRAEFATIO.

Disciplinarum nostrarum pensa in suo, quo cohaerent, *nexu* conspectiora habere ubique, & *utile* est, & *pulcrum*. *Pulcrum* enim illud habetur, in quo varia consentiunt in unum. Idem ergo & *ordinatum* est. *Ordinatum* vero certe & *utile*. Duplex autem hic notandus venit instituti nexus. *Unus*, quem haec habet dissertatio cum nuperrimis duabus de brachii luxationibus, *alter* quem habent hac vice publicanda in ipso ordinatioris *chirurgiae systemate*. Quae in *prioribus dissertationibus* lucubrata fuerunt, & de *brachii luxatione* disputando agi coeptata, ea tam quoad mali hujus *theoriam*, quam quoad eidem medendi rationem digna essent omni-




no ultra contexti produci que, continuato quidem filo *pathologico-therapeutico*. Sed hoc interrupto aliud nunc suadet ratio *instituti*, neque idcirco tamen a priori plane alieni. Quod cum publico communicare constitueramus, *instrumentum chirurgicum*, utpote *luxato brachio* maxime accommodum, ejus notitia præviam aliquam postulabat de hoc malo doctrinam. Quemadmodum igitur ad hanc illud nos tum ducebat, ita ab hac nunc ad illud iterum revertimur. *Alter* hujus *instituti* propior nexus hic est. *Triplex* maxime luxatorum est curatio, *una*, quæ in illis extendendis, *altera*, quæ in reponendis, & *tertia*, quæ in repositis retinendis versatur. Præcipuum negotium faceffit eorum *extensio* *avtitatis*, GALENO dicta. Peragitur hæc aut *manibus*, vel *folis*, vel hisce præcipue, aut *instrumentis* maxime. Neque enim *posterior methodus* manus chirurgicæ operam plane excludit. Inde *hæc medendi methodus* congrue & *adequate* dividitur: in *a) manualement*, & *b) instrumentalem*, quarum *illa* proinde ea est, quæ *manibus*, *hæc*, quæ *instrumentis* maxime perficitur. Quoniam vero *prior vel folis manibus*, vel hisce præcipue, absolvitur, eadem porro *subdividitur*: in *a) nude manualement*, & *b) manualement armatam*. *Illæ* itaque ea est, quæ *folis manibus*, *hæc* autem, quæ quidem pariter manuum maxime opera, sed una in subsidium vocatis mediis mechanicis instituitur. Harum utramque *alii* communi nomine *palæstricam* vocant, *alii priorem* tantum hoc nomine insigniunt, & ab utraque vulgo sic dictam *organicam* distinguunt, indeque *trimembrem* faciunt hujus *methodi divisionem*. *Alii bimembrem* ponunt, *methodum* hanc dividentes in *palæstricam*, & *medicam*, hanc vero *subdividentes*, in *methodicam*, & *organicam*. *Alii aliter*



aliter loquuntur. V. FR. HOFFMANNI *Diss. de luxationum synthesi in genere Hal. Magd. 1703. C. V. §. V.* IVNCKERI, *Patris, Chirurgia Tab. LXIV. §. VII. n. 11. 12.* FRID. KNOLLE *Diss. de extremitatum superiorum luxationibus Argent. 1738. §. XXV. p. 26.* Id vero minus apte, nec absque *divisionum fallaciis* fieri, ex præmissa hujus rei *analisi* intelligitur. Præterea ex eadem elucescit, *instrumentalis chirurgiæ* particulam esse, quam hic exposituri sumus. Perspecto *minus commodo*, & sæpius *nocivo* potius, quam *salutari* hæctenus, vulgarium *instrumentorum usu*, operosissimos se gesserunt artifices in novis *adveniendis*, inventisque noviter *corrigendis*, ejusmodi *instrumentis*. Atat quotquot eorum excogitata sunt, quotquot etiam novis artificiis correctiora reddita, ea omnia nihilo tamen fecius imperfectiora, atque ad desideratos effectus producendos necdum satis idonea esse, constat. Operæ itaque profecto pretium foret, si tale nobis concessum esset, quod in hoc infelicitatis genere nostræ melius satisfaceret expectationi. Ecce! TIBI L. B. qui artis nostræ curiosus existis, tale jam nunc instrumentum, quod indicatis usibus, a *priori*, & *posteriori* comprobatis, par esse possit. Et si illud tale TIBI pariter fuerit visum, utere eodem nobiscum in afflictorum salutem, cujus cura in exquirendis, & perficiendis, vitæ fanitatisque subsidiis nunquam otiosos nos esse sinat, oportet, semper bene memores illius, quod monent:

PLVS VLTRA.






* * * * * * * * *

PRAECOGNOSCENDA.


§. I.

De *argumenti præfixi inscriptione* partim, partim de ejusdem *definitione* primo hic exponendum est. De *hac* quidem quam maxime, quoniam *summa rei* exactius determinata totius de ea *pertractationis fundamentum* est, & dicendorum norma, de *illa* vero, quia facile videri posset haud satis *adcurata*, minimumque *justo prolixior*. Lucubrationum nostrarum *inscriptiones* se commendent, fas est omnino, qua fieri potest *brevitate*. Nil enim characteri earum repugnat magis quam verbosior *prolixitas*, & rhetorica oblique dicendi generis luxuries, quæ, quo *elegantior* videtur, eo minus pulcra adspectu iis est, qui non *verborum*, sed *rerum copiam* in scriptis nostris quærunt, veritatemque, in nuditate sua omnino pulcerrimam, amplecti & exoculari malunt, quam vel *ornatissima syntaxi* obvelatam operosius quærere, & exuto prius, quam illa propius frui possent, fucato illo ornatu sibi demum adsciscere. Qui enim alia ducuntur veritatis cupidine, veram *veri pulcritudinem* sane nondum perspectam habent, eaque propter deceptrice fucato delusi toties nubem pro Junoneprehendunt. At vero, ut æquo pluribus, ita & justo paucioribus parcioribusque rerum symbolis in scriptorum nostrorum *rubris nigrisque* peccari potest. Ab utroque vitio liberam esse existimo opusculi hujus *inscriptionem*. *Instrumentum* nostrum in ea expressius quidem dicitur *chirurgicum*, nec me latet, sequentibus id jam involvi verbis, quibus *morbi* exprimuntur *chirurgici*. *Instrumentum* enim morbis *chirurgicis* dicatum certe est *chirurgicum*. Verum id evidentiam ergo factum est, ut primo sic rubri adspectu cuivis lectori compareret primarius *thematis* character. Deinde *instrumentum* ponitur *tractorium*, quod vero ideo non abundat, quoniam alia dantur, quam *tractoria instrumenta* fractis luxatisque pariter dicata. Hisce autem *adcommodum* porro nominatur, quia & alia habemus *instrumenta*



menta tractoria aliis trahendis, retrahendis, & extrahendis rebus, innatis & peregrinis, dicata.

§. 2. Ut vero *definitius* intelligatur, quid *rubro* oblatum sibi velit argumentum hæc porro præmittere jubemur, quibus ultra patefcatur, à *tituli* iusta mensura nostrum non deflectere. Indicatur eo nempe: a) *novum*, in *definite* quidem, ut cuius liberum sit, quocunque illud tenore sic dictum voluerit, neque nos iusto arrogantiores in eo esse videamur, *novi novitatis*, *novatorum*, *novaturientiumque discrimina* aliis hic relinquentes dijudicanda, & repetenda forte, si placuerit, ex *Pantometro Eruditionis, maxime Medico-chirurgicæ, novis principiis mathematicis præmunito, & methodo systematico-demonstrativa* Parisiis 1752. publicato §. 113 - 174. b.) *notisque hæctenus*, nobis minimum; c.) *perfectius*, hoc est tale, quod dictis malis sufficientior sit usitatis hæctenus ejusmodi *instrumentis*, adeoque *comparative* tale, (namque vel *imperfectissimum*, *perfectum* est *absolute sumtum*) unde sua *ipfi* competit præ aliis hæctenus inventis usitatisque præstantia, seu *prærogativa*, quam ipfi tribuendum esse censemur ob ipsam majorem ejus *perfectionem*, quæ consistit in ejusdem majori *indeficientia*, seu, quod idem est, majori *sufficientia*, entis enim *indeficientia*, negat defectus possibilitatem, adeoque *positivi*, minime *negativi*, quid involvit. Sed plenior horum, & connexorum *terminorum analysis* data jam est in *Diss. de Extractione cataractæ, ultra perficienda* §. 81. - 91. d.) *Instrumentum chirurgicum*, non *machina* chirurgica, quoniam non est mera machina, sed machina manus Chirurgicis dirigenda, & machina directioni intelligentis obnoxia *instrumentum* audit, conf. *Idæa Medicinæ irenica* p. 4. e.) *chirurgicum*, adeoque *ad materiam Chirurgicam, instrumentalem* scilicet, spectans; f) *tractorium*, termino in mechanicis receptiore, & ab usu suo aptius sic dicendum, quam *reductor*, *reducteur*, quo nomine suum insignire placuit D. Ravatons *vid. ejus Abhandlung von Schußwunden und Stichwunden aus der französischen Handschrift des verfassers* übersetzt. Straßburg 1767. p. 487. g) *fractis luxatisque accomodum*, adeoque etiam *adaccomodandum*, quoniam illud dictis malis accomodum esse, aliisque *perfectius*




Etius, demonstrari non posset, nisi modus idem *applicandi* una ostenderetur.

§. 3. Ipsius, quem ostensuri sumus, perfectioris hujus *instrumenti usus*, usum hujus de illo *doctrinæ* abunde jam declarabit. Utile est quod perficit. *Perficit* autem therapiam praxinque nostram quævis certe doctrina, quæ defectus in ea ad huc obvios tollit, & minus deficientia, magisque sufficientia tradit sanitatis media. Id enim facere est *perficere*, vi *definitionis* hujus vocabuli.

§. 4. Aliis *frequentiores luxationes*, brachii præsertim, femorisque, sunt idiopathicæ vid. Diff. qua *luxationis brachii nosologia tradita est*. In hisce sine prævia luxatorum *extensione* nulla obtinet *restitutio*. Hæc, ut *retentior*, sæpe solis perficitur musculosis potentiis, e sedibus suis mota retrahentibus, retractaque in illis retinentibus, sine toties superfluo, nimisque operoso, fasciarum adparatu. Fracta etiam sæpius nulla alia ratione, quam congrua *extensione* in suo situ retenta sanari possunt. *Primarium* itaque *negotium* in vexatis luxatis, et oblique fractis, curandis eorum *extensione* absolvitur. Tanti momenti ususque est, nosse, qua ratione hæc debite administrari possit debeatque.

§. 5. *Novitatum* studiis, novisque, quæ hisce protruduntur & obtruduntur, rebus superfluis, inutilibus, quin sæpe noxiis potius, nugosis, & ad ostentationem tantum factis traduntur, *materiam medicam, instrumentalem* etiam, *primariam illius partem*, non quidem *perfici*, sed obrui & turbari, adeoque armamentarium quoque chirurgicum ab istiusmodi artificiis & oneribus liberandum esse, nec ultra onerandum, fatendum omnino est. At vero non importune augetur, sed levatur illud novis introductis necessariis, quæ amplioris, tantique sunt usus, ut hoc ipso quam plurimis aliis, minusque aptis, egregie carere possimus instrumentis. Ita vero comparatum esse hac vice publicandum, res ipsa docebit. Recte proinde JOH. ZACH. PLATNERUS in *Instit. Chirurgiæ rationalis* §. 12. opus est, inquit, *vario instrumentorum adparatu, qui magis ad usum, quam gloriosam ostentationem compositus sit. Semper enim præstat instrumentis paucioribus, iisque diligenter, &*
affabre




affabre factis uti, quam nimia & cum theatralem ostentatione ante ægri oculos expofita fuppellectili huic trepidationem injicere. Qualia monita recte repetimus ex ore HIPPOCRATIS, qui de *Artis. Text. XXVII. Edit. Charter. p. 377.* ita habet: *Turpe est in omni arte nec minus etiam in Medicina, sine ullo profectu magnam ahibere turbam, magnum spectaculum polliceri, & multa verba facere.*

§. 6. Longe gravius illo dubium hic obftare videri poffet, omnino hic removendum. Luxata nempe, brachia etiam, *folis* reftitui poffe *manibus*, faltem levioribus adminiculis armatis. Verum enim vero *posito* hoc, *nec concesso*, nullius tamen momenti hæc foret objectio. Etenim, quod commendamus, *instrumentum* ita comparatum est, ut tutius feliciusque eo præftare poffimus, quod alias manuum opera difficilius minusque tuto efficeremus, quis amplius dubitaverit, quin illud retinendum fit, & præferendum aliis. Erroneum certe est, *tritiffimum* illud *dictatum*: *Instrumentalem* medendi *methodum* femper minus tutam effe, quam *manualem*, adeoque curationi quæ manibus perfici poffet, nunquam præferendam effe *instrumentalem*. Accidit hic, quod & alibi quam sæpiffime, præfertim etiam in reliqua Medicina, ut dogmata propagentur, nemini vel per integra fecula dubia vifa, quæ tamen propius infpecta adhuc erronea deprehenduntur. *Præterea* allato dubio, quo culpantur vulgo, & pro non necessariis habentur, quævis machinamenta, certiffima refragatur experientia. Ejus rei testimonium in proxime nobis obvio adfuit *exemplo*, quo planum factum fuit, ne abs exercitatiffimo etiam artis perito brachium reftitui poffe, quod attamen novo hoc instrumento elapsis feptem adeo feptimanis post illud infortunium adhibito, quam facillime reductum fuit. Articulos continentis potentias ligamentofas & musculosas, imprimis in carnofis tantas sæpius effe, ut a manuum opera superari nequeant, a priori quoque ex mechanicæ anatomica constat. Tum itaque vi majore & adplicatis instrumentis res peragenda est. Id quod veteribus dudum jam perspectum est, & recentioribus fatis cognitum. Vid. HIPPOCR. de *Artic. Textu* 23. cel. Charter Tom. XII. p. 304. cet. Cel. BOERHAVE Aphor. 349. & qui locu-

B

ple-



pletissime in eum commentatus est, van SVIETEN p. 579. Attamen hic probe tenendum est illud HIPPOCRATIS monitum: *inanem nempe esse ostentationem, uti machinis, si res non exigat, De fracturis Charter T. XII. p. 209. 213.*


§. 7. Quemadmodum non quidem, quæ aliquod *supponit*, aut remotius connexa habet argumentum, sed quæ involvit, circa illud tractandum maxime expendenda sunt, ita & eadem hic propius exponenda veniunt. Involvit autem quod hac vice sumimus, & modo (§. 1-3.) determinatius posuimus, *partim* dicti instrumenti novi descriptionem, *partim* ejusdem applicationem, *partim* ipsius prærogativam. Inde hæc de eo *tractatio* in tres discedit *partes*, unam, qua hujus *instrumenti descriptio* & *delineatio*, secundam, qua *ipsius applicatio*, & tertiam, qua ejusdem *prærogativa* ostendenda est.

§. 8. Primum itaque triplicis argumenti nostri momentum constituit dicti novi, notisque hactenus perfectioris

INSTRUMENTI DESCRIPTIO & DELINEATIO.


§. 9. *Descriptioni* hujus instrumenti addam ejusdem *delineationem* non quidem *improprio*, nec ideo *vago*, ut alias usurpatur hæc vox, sed proprio significato acceptam, utpote accuratioribus *iconibus*, æri incisis, expressam. Hac etenim illius *explicatione*, fabrica ejus evidentior evadet & conspectior, pro rite construendo hoc instrumento. Namque, ut recte monet PLATNERUS l. cit. (§. 5.) *nosse debet Chirurgus instrumentorum & machinamentorum fabricam, ut, quæ idonea sunt, possit artificibus imperare, alia corrigere, addo, debite etiam applicare.*

§. 10. *Primaria* nempe *pars* hujus *instrumenti* trochlea est valde simplex, una parte majoris *fig. I. a.* altera minoris diametri *b.* manubrio *g* instructa, & arcule robustioris foraminibus lateralibus inserta, cui funis ductarius satis validus *c* per foraminula arcule superiora *ee* transmissus, & trochlea illa superiore, cui uncus validus affixus est *d*, contrario ductu circumvolvitur.



§. 11. *Alteram instrumenti partem* constituit fulcrum, *vel duplicatum*, ex duobus cylindris ligneis sat validis *fig. II. a a* constans, qui superne trabe transversa *b. b.* cochlearum ope *e e* firmantur, atque inferius styliis ferreis arcule foraminibus *f. f.* inferendis, instructi sunt, *vel simplex*, quod ex simili constat cylindro ligneo *Fig. III.*, qui superius unco ferreo sat valido *a* armatus est, inferius vero ferreo sustentaculo *b d* instructus, cui inferius pariter annexi sunt stylii ferrei, quorum ope illud cum arcula *Fig. I.* connectitur. *Fulcrum* hoc *simplicius* antea brachiis pedibusque extendendis dicatum erat, postea vero solis pedibus varias ob rationes dicandum esse, visum est, substituto pro brachiis extendendis aptiore illo duplicato. Firmius enim hoc exactiusque omnino sustinet dirigitque funem illum ductarium, adeoque aptius deprehensum fuit, ob magnam, quæ heic requiritur, vim moventem seu trahentem. Idem vero in pedibus, propter corporis situm in his extendendis necessarium, haud æque commode, ac in brachiis adplicari potest.

§. 12. Præterea instrumenti descripti (§. 10. 11.) usus duo præcipue adhuc requirit *retinacula*, ad membrum in contrarium sensum distrahenda, *unum* nempe pro *extensione*, quam *contra extensionem* vocant, in loco luxationi vicino adplicandum, *alterum* loco ab illa remotiore pro *extensione* nude dicta aptandum. Utriusque vires subire possunt mantilia robusta, ut in femore *Fig. VI. k.* ostensum est. Aptiora vero dantur omnino magisque commoda, & utiliora illis. Huc spectat annulus iste *Fig. II. c.* delineatus, firmandis scapulis dicatus. Annulus hic ex validiore confectus est corio, figuræ prope ovatæ, & tantæ amplitudinis, ut brachium commode transmitti possit. Corium parte media 3 digitos transversos lata est, & in fine ejus libero tenuiore amentatum, ut annexo loro, fibulæ ope firmando *d*, pro lubitu ampliari & angustari possit. Annulus hic in superficie inferiore mollius assutum habet corium, pilisque capreoli probe & æquabiliter ad eam usque partem, cui fibula lorumque annectuntur, fartus esse debet, ita quidem, ut in interiore latere elevatius, in exteriori autem depressius existat, sicque infundibuli formam quodammodo referat. Ad



lpatium illud, quod pars pilis non conferta relinquit, fascia in unum caput convoluta requiritur, præterea uni hujus annuli lateri lorum tres ulnas longum, duosque pollices latum, per trabem dictam *ff* (§. 11) trajiciendum, alteri vero fibula, pro firmando hoc loro, annectuntur.

§. 13. Casu, quo cingulo hoc destituti essemus, ejus loco sumi potest mantile quadruplicatum, dimidiam ulnam amplum, foramine pertusum, & splenis debite fartum.

§. 14. Utrumque modo dictum (§. 12. 13.) artificium, quod instrumento nostro addimus, *Dr. PISTCHELIO* Dresdensi referre debemus gratissimi. Neque enim ab hac parte aliquid plane novi hic nobis arrogare volumus. Conf. *Christian Löbers der Arznei gelahrtheit und Wundarznei Kunst Doctors und Professors auf der Emerichs Academie zu Erfurt Anfangs-Gründe der Wundarznei Kunst. Langensalz 1770. II. Abtheilung §. 320. - 324.*

§. 15. Præterea pro instrumenti nostri potentia trahente, ope unci illius Fig. I. *d.* adplicanda Fig. IV. *n.* (§. 10.), mantilibus, splenis circularibus, funiculisque vulgaribus, longe aptiora deprehenduntur cingula ex corio pannove xylino confecta, quibus annectuntur ex eodem factæ habenæ fibulis instructæ, quibus illæ, pro re nata, elongari possunt & abbreviari, ut videre est Fig. IV. *f. m. n.*

§. 16. Secundum, quod *argumentum nostrum complexum* involvit, momentum, constituit dicti *instrumenti adplicatio* (§. 7.) sive, ut ad *artis characteristicae* regulas rem propius exprimamus.


PROBLEMA DE MODO ADPLICANDI DICTVM INSTRUMENTVM CHIRVRGICVM.

§. 17. Quævis etenim, nostra quoque agenda medica totidem expedienda sunt *problematis*, ut debite ubique ab aliis distinguantur dicendis, nisi quidem hæc promiscue in publicum protrudere velimus. Quoniam *problema* agenda nostra haud
nude

nude, sed agendorum modum simul exponit, adeoque in eo ab aliis pariter *practicis propositionibus*, a *postulato* scilicet, quo agenda, ut cognoscenda in *axiomate*, sine demonstratione admittenda sunt, utpote ex suis *terminis* manifesta, a *regula*, adeoque a hujus speciebus, a *canone*, quo intellectus, & a *praecepto*, quo voluntas dirigitur, ubi agenda nude & simpliciter determinantur, plane distinctum est, facile patet, illud constare, partim ex *propositione*, qua ipsa agenda, partim ex *resolutione*, qua agendorum modus, partim ex *demonstratione*, qua eorundem rationes exponuntur, quibus addi potest *illustratio*, qua universalior eorum cognitio ad singularum reducitur, quæ proinde hoc ipso differt ab *expositione*, in qua quippe circa terminorum locutionumque minus evidentium obscuritates, per alios notiores æquipollentes removendas, occupati sumus. *Illustrationem* itaque hujus problematis exhibere posset applicatio agendorum in eo præceptorum ad casus singulares, ad luxationem v. c. brachii, femoris, sed brevitatis ratio fusiores ejusmodi *illustrationem* hic prohibet. Vices ejus tamen subire poterit usus hujus instrumenti specialis Fig. IV. delineatus. Præterea *problematis* nostri *chirurgici propositio* jam præmissa est (§. 10.). Duo itaque hic tantum supersunt circa illud adhuc *expendenda*. *Resolutio* nempe & *Demonstratio* problematis. Primum hic sibi vindicat locum.

PROBLEMATIS RESOLVTIO.

§. 18. Ea vero huc redit: a.) Nisi quid obstet, protinus nilque cunctando, b) & si quæ obstant, ut: inflammationes, tumores, fracturæ, cet. hisce prius remotis, quam primum licet, in usum hoc vocetur instrumentum, nisi quidem removeri nescia aliud suadeant. c) Aptato instrumento, insertisque debite hujus in arculam Fig. I. fulcris Fig. II. f. f. (§. 11.), & d) adornatis reliquis ad chirurgicum hunc apparatus, tam *operationis*, quam *deligationis*, necessariis subsidiis, ut pro illo quidem: cingulis, loris, & habenis Fig. II. e. Fig. IV. f. m n. (§. 12 - 15.), e) pro hoc autem: spleniis, fasciis, cet. quando nempe hisce opus fuerit, f) applicentur retinacula, superius prope os emotum, inferius




supra articulum proximum, nisi singularis casus aliud postulaverit. *f*) Adponatur ipsum instrumentum, deinde *h*) inferatur ejusdem uncus *g* in habenam cingulo affixam *m. n.* *i*) Consistat prope os loco emotum artis peritus illud in pristinam sedem reducturus, *k*) minister vero ante partem instrumenti inferius applicatam. *l*) Ducat teneatque hic altera manu membrum cum instrumento in situ extensioni & repositioni congruo, maxime naturali, immotum. *m*) Rotet idem altera manu ope manubrii Fig. I. *g.* trochleam ductu, quo fieri potest lentissimo, æquabilissimo. *n*) Dirigat interim artis magister distractum os in sedem suam naturalem, probe attendens ad justam, qua illud reduci possit extensionis distantiam. *o*) Hoc viso protinus moneat ministrum, ut vel trahere desinat, vel iterum lente æquabiliterque remittat potentiam trahentem, prout id fert reductionis negotium. *p*) Sub hac instrumenti partiumque per hoc distractarum relaxatione, distractum os provide ducat dirigatque, ita quidem, ut ea, qua exiit via, iterum redeat in sedem suam naturalem. *q*) Denique pro re nata, vel remoto, vel relicto hoc instrumento, solícite prospiciat repositorum ossium vel præsentibus adhuc malis vel imminentibus.

§. 19. Haud nude, modoque vulgari, danda nostra sunt agendorum præcepta. Ratio eorum quoque reddenda est. Addenda itaque hic etiam est resoluti hæctenus (§. 18.) problematis nostri demonstratio. Multo quidem facilius, breviusve æque, ac solidius dare licet ejusmodi demonstrationes in aliquo ad artis regulas condito systemate, ubi principia scientiæ alicujus jam stabilita, & ita ordinata sunt, ut sæpe solis eorum citationibus istæ expediri possint. Eo vero deficiente longe aliter res se habet. Id quod ea propter præmonendum hic esse duxi, ut aliquam excusationem habeat jam addenda (§. 17.)

PROBLEMATIS DEMONSTRATIO.

§. 20. Quo citius eo melius fane suscipiuntur luxatorum fractorumque repositiones. Mox etenim ingruunt symptomata, quæ vel difficiliorem reddunt, vel impossibilem restitutionem.

Nisi




Nisi igitur quid obstet, cura non differenda est. Hoc primum erat in problematis nostri resolutione (§. 18. a.).

§. 21. Alterum (§. 18. b.) probatu æque facile. Sin etenim adfunt graviores inflammationes, ingentes tumores, convulsiones, fracturæ, lacerationes partium, dolores enormes, rudiore tractatione nocemus. Tollenda itaque ista prius sunt, minimum mitiganda, quam tentare licet extensionem violentiorem. Neque tamen hic iusto plus moræ interponendum, quin quam primum dicta mala, nisi quidem non plane sublata, mitigata tamen, non amplius obstant, operatio hæc suscipiatur. Namque & hoc in casu retardata semper redditur difficilior.

§. 22. Quid vero tum consiliū, quando immedicabilia obstant mala? Rebus sic stantibus, tentare eam, non prohibetur in problemate, & additis (b.) his indicatur verbis: *Nisi quidem removeri nescia aliud suadeant.* Ratio consilii in promptu est. Necessitas regulæ facit exceptionem. In ancipiti namque licet, præstatque anceps, quam nullum, tentare auxilium. In exemplo hic esse potest luxatum occallatum, & emolliri amplius nescium, quod valido hoc tutoque instrumento solvi nonnunquam poterit & restitui. Nec est, quod moneam, coincidentem fracturam a luxatione remotiorem non impedire, quo minus luxatum possit reponi, quum instrumentum tractorium supra illam applicari possit, fracto tamen prius reposito.

§. 23. Quæ in subsequentibus (§. 18. c - n.) præcipiuntur, eorum rationes, quoad ipsa agenda æque, ac quoad servandum in his agendis ordinem, tam manifesta sunt, ut nemini non sponte sua obvia esse possint. Hæc itaque fusius exponere supersedeo.

§. 24. Quod ad deligationis adparatum attinet, is sane non sine adjuncta exceptione ponendus erat. Quantumvis enim, quæ reposita sunt luxata, nunquam non deliganda esse vulgo putentur, quam sæpissime tamen earum deligationes superflue sunt. Ipsæ enim vires articulos alias continentes ut plurimum solæ æque bene retinent in sedem suam revocata ossa, ac antea.



§. 25. Situm, in quo membrum extendendum tenendum est, extensioni & restitutioni congruum esse debere, & hunc maxime naturalem esse, porro (§. 18. k) statuitur, ex hac quidem ratione, quoniam *naturalis* non semper congruus esse potest, quantumvis hoc ita velit vulgaris sententia. *Congruus* enim hic situs is est, sub quo emotum os, eo, quo excessit itinere, recurrere potest, & quem circumstantiæ multum sæpe in eo mutantem permittunt. Sed talis situs certe haud semper naturalis est. Qualis autem sit *congruus*, & *naturalis situs*, id jam non in generaliore hoc problemate dicendum est, & in specialioribus hac de re doctrinis practicis demum determinandum erit.


§. 26. Neque ideo spernenda sunt veterum hac de re monita, dummodo recte ista interpretemur, quando v. c. HIPPOCRATES de *Medici officio Text. 21. Chart. T. XI. p. 87. 88.* scribit: *ex quiescente & remisso rectitudines, ἰσομαί, spectandæ sunt,* & GALENVS in *Comment. suis* in hunc textum: *quibus in figuris dum otiamur partes habere consuevimus, hæc in curationibus eligendæ sunt,* post hæc manuum exemplo situm naturalem illustraturus addens: *Si homines otuari consideraveris, plerumque manus inter summam extensionem, & extremam flexionem non plane medias reperies, seu quæ ad extensionem propendeant.*

§. 27. *Lentissime & æquabilissime* extendi, extensaque iterum eodem remitti oportere, porro ut supra (§. 18. o.) monitum fuit, sat firmis convincimur rationibus, quanquam in contrarium abeant Autores quoad posterius assertum. Ita namque melius observari potest iusta, ad quam distrahenda sunt fracta luxataque, *distantiæ mensura*, adcuratius omnino determinanda, quoniam minus quam par est distracta in antiquam sedem repelli nequeunt, plus iusto autem extensa facile avelluntur & dilacerantur, minimum muscoli jam contracti, & distorti sæpe, sine vehementiorum dolorum, convulsionum, distortionum periculosarum, inflammationum, tumorum, aliorumque graviorum damnorum metu, non possunt simul & semel elongari concitatiorre & violentiore vi, quia partes istæ quietiore motu longe tutius extenduntur. vid. PLATN. *Inst. Chir. §. 1104. 1108. 1111.*

§. 28. Neque hic obstat eorum sententia, qui non adeo facile in nimia extensione hic peccari posse putant. v. *Ill. van SWIETEN Comment. §. 345.* Qui ita sentiunt, ex iis esse videntur, qui nimio HIPPOCRATIS effata tuendi studio, adeoque aliquo *auctoritatis praejudicio* id faciunt. HIPPOCRATEM nempe excitant, qui de *fracturis Text. 68. Charter: T. XII. p. 222.* de femoris extensione agens, *validam extensionem fieri* iussisset, addens insuper: *non laedi partem, licet plus justo intendatur,* & alibi *Textu 19. 16. p. 167.* monens: *p'erosque minus extendi, quam decet.* Equidem vero HIPPOCRATEM in eo aliter defenderem. Ambigua nempe, & minus congrua visa, Autoris alicujus effata, ex aliis ejusdem effatis interpretanda fuit. Id iustæ postulant regulæ hermenevticæ, si quidem mentem Autorum rectius attingere velimus. Quæ vero mens allatorum verborum HIPPOCRATIS fuerit, vel ex hoc solo patet, quod loc. cit. addat: *puerum se vidisse plus justo intensum.*

§. 29. Sed &, quod remitti debet, membrum fractum, luxatumve, vi æquali sedataque paulatimque remissa eo reduci debet, unde eversum est, haud vero per repentinos interruptosque impetus repelli oportet (§. 18. o.), aliter enim periculum foret, ne vel ipsa ossa vehementius collisa læderentur, vel in luxatis cartilagines, ligamenta, glandulæ articulares deprimerentur, dilacerenturque, vel rapidiore & inæquabiliore motu aliquid de partibus vicinis interciperetur, quod sane sine gravissimis inde pedissequis symptomatibus fieri non posset.

§. 30. Curam habendam esse, ut os emotum in locum suum ea, qua venit, via revertatur, in proclivi est judicare. Os nempe ea, qua elabi facilius potest, elabitur via, via itaque minus impedita, quapropter etiam sponte nonnunquam musculorum ligamentorumque vi per eandem partem, per quam venit, revertit. Expeditiior proinde etiam non potest non esse hæc via, quotiescunque artis ope reducenda sunt ossa loco suo mota. *Rationi huic auctoritas* accedit veterum & recentiorum artis peritorum. De his id satis constat. Et idem jam perspexisse GALENUM, legimus, quippe qui de *Artic. Textu 29. in genere de cura*
C luxa-



luxationum agens, monet, quod necesse sit, ut id, quod in antiquam sedem reversurum est, unde excessit, rursus idem iter faciat. Considerato igitur, unde cœperit articulus expelli, qua processerit, & ubi constiterit, oportebit elapsionis finem principium esse revertendi.

§. 31. Ossa obliqua fractura diducta, optime etiam reposita, cessanti vi extendente, annexis ipsis potentiis sponte mox iterum distrahuntur. Cavendum itaque est, ne a se invicem denuo secedant. Id vero efficitur applicatis loris, machinamentisque aliis, quibus partes illa retrahentes in debita extensione continentur, donec tam firmiter coalescant, ut distrahi amplius nequeant. Ecce! tale instrumentum ad restituenda sic fracta non modo, sed & ad hunc usum adcommodatissimum, quod proinde, ut dictum est (§. 18.), hoc in casu præstito priori usu, ad hunc quoque commodissime relinqui potest, in aliis fracturis luxationibusque alias removendum.


§. 32. Instrumentum autem, & vincula, a ministro solvenda & removenda esse, ideo monendum erat, quoniam, qui repositionem curavit, alia habet, quæ agat. Ejus nempe nunc est, ut reposita in situ suo contineat, caveatque, ne sub instrumenti, & vinculorum, remotione novam patiatur injuriam.

§. 33. Juxta præhabitam *problematis nostri resolutionem* denique consultata res est, illis omnibus peractis (§. 18.), prospicere jam repositis, & membra vel mitella, vel canaliculo excipi, & ita collocari, ne quid noviter inde patiantur partes irritatæ, vel vis fiat ligamenti musculisque, non neglectis reliquis, quibus vel mitigantur, vel tolluntur, quæ supersunt, symptomata, donec tota curatio feliciter absolvatur, & ad sanitatem veniat.

§. 34. Expositis duobus argumenti nostri capitibus, subjungendum est tertium (§. 7.), in quo ostendenda nunc venit, quæ, quantaque sit cum publico hætenus communicati

INSTRUMENTI PRAEROGATIVA.


§. 35. *Veri nominis praerogativa* consistit in vera *perfectione*, quæ uni competit præ altero. Hæc ergo ex unius cum altero



altero *comparatione* elucescit. Nostri igitur *instrumenti prae-*
rogativa pariter ex ejusdem cum aliis, eundem in finem hactenus
adinventis, adhibitisque ejusmodi *instrumentis tractoriis compa-*
ratione intelligenda est. Hæc vero facile a nemine non poterit
institui, cognita ejus ad quæritos usus habitudine, ut proinde
hac sola exposita, ipsam inde descendentem *comparationem*
brevitatis causa hic præterire possimus. Plurima existunt ab
HIPPOCRATIS tempore ad nostra usque excogitata ejusmodi in-
strumenta, quæ omnia describere, cumque nostro singulatim
conferre, nimis prolixum hic foret opus. Missa igitur instru-
menti hujus cum tot aliis *comparatione* fini nostro, & L. B. po-
stulatis satisfactum iri speramus, si, quibus illud *in se spectatum*
sefe commendat commodis, & perfectionibus, vel brevissimis indi-
caverimus.

§. 36. *Vilioris pretii media medica, medicamentosa aequæ ac*
instrumentalia, pretiosioribus præferenda, adeoque quævis re-
movenda esse, quæ rerum pretia hic frustra, & ad ostentationem
theatralem augent, cordatorum Medicorum nemo negaverit.
Vilissime & vix uno floreno constat hoc instrumentum, adeo-
que cuivis Chirurgo facile parabile est. Sat magna certe pretii
vilitas pro comparando ejusmodi instrumento, ni usus ab eodem
exspectandi vilitas accesserit. Sed maximi nihilominus usus idem
esse, mox probabunt, quæ addituri sumus.

§. 37. Deinde & ab eo aliqua ipsi accedit perfectio, quod le-
vissima opera construi possit, & cuivis operario in expedito sit,
quicquid ad illud conficiendum requiritur. Quam res difficilis sit,
& ambigua, si quando, quæ multum laboris & artificii requirunt
instrumenta chirurgica nobis comparare volumus, submolesta
nos docet experientia. Licet igitur, ubi res id ita fert, neque
sumtibus parcendum sit, nec ullis laboribus cedendum in compa-
randis fabricatu difficilioribus instrumentis, semper tamen viden-
dum est, ut, quoad fieri potest, utramque removeamus difficul-
tatem. Quo enim paratu faciliora ista sunt, quo minus pretio-
sa, eo etiam utroque nomine præstantiora sunt, dummodo in-
terno eorum valori nil ita derogetur.




§. 38. Idem de simpliciore alicujus instrumenti fabrica dicendum est. Quo simplicius, eo melius illud est, si cetera sunt paria, nec hoc reliquis ejus requisitis repugnat. Eo enim non paratu modo, sed & conservatu, adplicatuque facilius illud est. Hanc perfectionis partem inesse nostro instrumento, indicat vel primus ipsius adspectus. Simplicior trochlea, simplici modo applicanda, unumque alterumve bacillum ligneum totum illud constituunt.

§. 39. Præterea neque mole, neque pondere, neque figura sua molestum est, adeoque nil impedit, quo minus commode possit transportari. Non infimum profecto instrumenti alicujus chirurgici commodum, præsertim ubi in castris eo opus habemus.

§. 40. Quo *minori apparatu* aliqua administrari potest, quæ dicitur, *operatio chirurgica*, eo perfectior illa est, & habetur ab omnibus. Recte quidem. *Quæ enim, ut in vulgus nota habet regula, fieri possunt per pauca, ea non fieri debent per plura.* Insigne vero *laborum compendium* facit descriptum instrumentum. *Paucioribus & rebus, & personis*, hic opus est. Præter *artis magistrum* vix unus requiritur minister, qui duplici fungi potest munere, extendendo quippe membro, & in situ debito retinendo sufficiens. Nec prius operose firmandus est æger, quoniam tracto sic membro non sequitur totum corpus. *Quævis insuper persona* illo fungi potest officio, nec idcirco adeo necessarius hic iterum est artis peritus, qui ministri vices gereret, quod alias requiritur, & difficultatem creat, quoniam rerum gnari non ubique existunt, qui mox possint advocari.

§. 41. Neque vero *parciori sumtu* (§. 35.), *faciliorique* (§. 36.), & *minori labore*, operæ pretium illud facit in *luxatis* tantum, sed & in *fractis* (§. 30.), circa illa quidem porro non in uno alterove, sed in quam plurimis casibus, in his autem non in extendendis modo, sed & in iisdem reductis commode retinendis (*loc. cit.*). Insigne sane *artis nostræ compendium*, usque locupletissimus, quibus ita constitutis tot aliis, minori




insuper fructu, minusque tuto adhiberi solitis, feliciter carere possumus. *Ars longa, vita brevis.* Illa itaque, quoad licet in compendium reducta, magna brevioris vitæ nostræ necessitatibus spondet præsidia.

§. 42. Commemorata hucusque (§. 34 - 40.) ab instrumento, quod commendamus, expectanda commoda haud levia esse, palam est. Hæc vero non sunt omnia. Plura præstat & majora. Sæt *validam* illud possidet *potentiam*, quæ sufficiat extendendis vel robustissimorum hominum membris, laceratis, femoribusque etiam, quin prope occallatis malis iterum distrahendis, & incredibili renitentibus vi, vimque manuum toties superantibus (§. 23.). Eandem quidem aut majorem vim habere notissimum *illud* VITRUVII trochleare instrumentum, sæpius hæctenus, & a PETITO præsertim pro hoc fine correctum, posset obverti. Sed *primum* ita nil derogatur alicui instrumento, si eandem, quam alterum habet perfectionem. *Deinde* quæ frustra multiplicatis viribus gaudent, iis posthabenda sunt omnino, quæ nullis superfluis, sufficientibus attemen, gaudent potentiis. Prætereo, aliis quam plurimis hoc antecellere perfectionibus dictis modo, moxque porro dicendis.

§. 43. At vero parum foret, potentiam illam esse sat magnam, necesse est, ut hæc quoque justa possit adplicari *quantitate*, & *directione*. Ad utrumque præstandum aptum factum hoc est instrumentum. Quod ad prius attinet, hujus ope potentia illa, & facile, & exactissime determinari potest, & vel augeri, vel imminui, vel figi, ad minimum intensiois quæsitum gradum. Trochlea, remota manu eam volvente, quovis temporis momento illico quiescit, sponte quidem, & firmissime fixa subsistens, cujus phænomeni singularis ratio, in fune illi contrario ductu circumvoluto, quærenda est. Et in hoc quidem *primariam* ponimus hujus *instrumenti prærogativam*.

§. 44. Multum sæpe negotii faceffit luxati reductio. Quare pars sæpe satis diu debet extensa retineri, antequam in sedem suam antiquam possit reponi. Cum stabilitate autem id fieri




debet, aliter operatio turbaretur. Aequè stabilis diuturnior illa requiritur extensio in oblique fractis. Hanc stabilitatem neque manus præstant, quæ insuper sub protractiore hoc labore lassatæ facile cedunt obversis resistentiis, neque alia eam æque bene dant alias adhiberi solita. Quam molestum, quam incertum tum sit hoc negotium, notum est omnibus. Cessat autem hæc omnis difficultas rite adplicito, fixoque hoc instrumento, quod sponte insuper subsistens, nilque remittens, cum summa stabilitate affixa retinet membra.

§. 45. Requiritur porro in his, ut tensio & remissio fiat æquabilissimo motu, nequaquam per subsultus, & directio talis sit, qua secundum rectitudinem illa perfici possit. Neutrum pariter manuum opera præstari posse, facile patet. Utrumque vero commodissime fit commendati instrumenti potentia, exquisita rectitudine, & motu æquabilissimo trahente.

§. 46. Videlis, L. B. *multiplices & singulares usus*, ob quos publicatu dignum judicavimus descriptum instrumentum chirurgicum. Plures potuissent addi. Sed suffecerit, dictas in numero habere perfectiones. Harum enim plures jam esse, & majores, insignioresque, quam earum, quæ aliis ejusmodi instrumentis competunt, satis est pro vindicanda illi præ aliis prærogativa. Taceo, aliorum defectus in hoc sublatos esse.

§. 47. Posset præterea etiam ostendi, ejusdem beneficio non modo, quæ manuum operam superant, luxata fractaque restitui posse, sed & ita illud quoque comparatum esse, ut, quæ etiam manuum ope hic fieri possent, illo tamen sæpe sæpius magis commode, multoque tutius perficerentur. Posset denique ejusdem præ aliis huc spectantibus mediis chirurgicis ostendi præstantia. Verum hæc, & similia, excludit instituti finis, quem juxta hujus cum aliis ejusmodi instrumentis tantum comparati prærogativa demonstranda erat.

T A N T V M.






PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO


DN. LICENTIATO IOH. MAERKLIN

S. P. D.

Dr. G. F. SIGWART.



Crapulam obliti sumus, opportunum utique dudum jam visum præfidium, quo possint egregie levari loco motorum ossium repositiones. Has quippe vehementer omnino impediunt musculorum ligamentorumque illis annexorum potentiæ validissime renitentes. Fractis igitur hisce renixibus, quid obstat amplius, quo minus ista quam facillime in antiquam possint reduci sedem suam. Atqui crapula id præstat, tensa laxans. His laxatis in expedito est repositio. E. crapula perquam idoneum est ad hanc rem auxilium. Q. E. D. Id itaque sic *a priori*, sed & idem *a posteriori* constat, ab *experientia* nempe, quam habent, & quam ab iisdem habemus, qui sibi oblatos poculis tingunt luxatos, laxatosque sic fractis vino viribus feliciter restitunt. Auriti oculatique ipsimet esse possumus hujus rei testes. De proximo enim existunt hujus artis periti. Ecce TIBI *experientiam medicam* non contradicibilem. Serione hæc dixerim, jocove, ipsemet probe nosti, SOBRIETATIS STVDIOSISSIME AMICE! qui omnem intemperantiam, quocunque alias nomine commendari solitam, TVIS quoque ægris, ut hæctenus fecisti, severe dissuadebis & in posterum. *Experientia* se jungat, oportet, *ratio*. Hac sine namque illa aut nulla est, aut plane infida. Cujus valoris sit modo data methodi per crapulam medendi *ratio*



tio, facile est perspicere. Sufficiens certe non est. Ne igitur & in hac circa res nostras exquirenda deficiamus, cavendum nobis est quam sollicitissime. Agedum, perge NOBILISSIME DN. LICENTIA TE! qua cœpisti, castæ, ad resque nostras medicas rite agendas idoneæ, *rationis & experientiae* regia via ad altiora indies eniti. Antequam ad nostras accessisti Musas, apud EXTEROS, GERMANOS, GALLOSQUE utriusque Medicinæ strenuum TE gessisti cultorem non modo, sed & tum jam ipsa TE exercendi praxi occasionem nactus es opportunam. Ad nos reversus vitam TVAM academicam, quoad mores, & studia, ita trans-egisti, ut omnium bonorum adplausu illi nunc addere possis colophonem Gratulor TIBI hanc coronidem. Coronet DEVS, precor, TVAM, quam jam laudabilibus adgressus es speciminibus, praxin benedictione sua largissima, sicque TE jubeat esse ab omni parte beatum.

Dabam e Museo
d. 3. April. 1772.






Fig. II




Fig. I.




Fig. IV

Fig. III.

